



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 50. De Humilitate & resignatione, quæ ad copiosos diuinæ  
Prouidentiae fructus colligendos disponunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

## MEDITATIO. L.

DE HV MILITATE ET RE-  
signatione, quæ nos disponunt ad  
copiosos fructus ex Diuina  
prouidentia colli-  
gendos.



VMILITAS, quæ nos di-  
sponit ad magnos fauores  
Diuinæ erga nos prouid-  
entiæ, non solum illa est,  
quæ pertinet ad eos, qui  
fuerunt peccatores, & fû-  
datur in peccatorum no-

strorum cognitione, de qua actum est prima  
Parte; Sed illa humilitas, quæ pertinet etiam  
ad sanctissimos, & ipsam Christi D.N. animã,  
quæ fundatur supra cognitionem illius nihi-  
li, quod ex nobis ipsis habemus; de qua actû  
est in Meditationibus 6. huius Par. in quibus  
quatuor præcipua puncta expendimus. Pri-  
mum, quod totû Esse corporis & animæ meæ,  
cum omnibus membris & facultatibus, & cû  
ornatu eis addito tam naturali quàm super-  
naturali, nihil meum sit, sed omnia Dei, qui  
illa dedit; & nisi ipse ea dedisset, mansissem  
ego in abyfso nihili, vt perpendimus in Medi-  
tatione. 2. & 17. Secundum punctum fuit, quod  
postquam totum hoc accepis non possim illud  
conseruare; & nisi Deus actu semper conser-  
uaret,

*S Thom. 2.*  
*2. q. a. 1. ad*  
*4.*

uaret, statim totum illud rediret in nihilum, ut Meditatione 28. dictum est. *Tertium* fuit, quod usus omnium mearum facultatū & sensuum, & omnes eorum actiones, ita dependant à Deo, ut sine actuali eius concursu, nihil possim, ne quidem cogitare, sicut ibi fuit expensum. *Quartum* fuit punctum, quod etiam si plurima acceperim, omnia tamen sint nihil, comparatione ipsius Esse Dei, & perfectionū ac virtutū eius, ut Meditatione 6. fuit dictum. Adde *Quintum*, quod ex me ipso sim fors totius eius, quod est nihil, & eius quod minus est, quā nihil, peccati scilicet, sicut expēdimus in Meditatione 4. 1. *Partis*. Hoc inquam totū inuenietur simul collectum in hac Meditatione, cuius argumentum & materia erit similitudo illa, qua frequenter usus est Christus, dicens: a *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum calorum. quicumq; ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno calorum: & illud. b finite pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium est enim regnum calorum.*

a Matt 1. 83

b Luca, 18.

## PUNCTVM. I.

**P** R I M V M est consideranda heroica *humilitas*, quæ in hac Christi. D. comparatione nobis proponitur; & fructus Diuinæ providentiæ, qui ex ea colliguntur. cuius causa me in conspectu Dei constituā, cogitans, me parvū

aliquem puerum esse, cuius hæ sunt proprietates. *Prima*, quod si maculatus sit, non possit seipsum purgare, nisi alius ipsum purget; *Secunda*, si cecidit in terram, non potest surgere, nisi ab alio eleuetur; *Tertia*, si stantem super proprios pedes illum constituant, non potest consistere, nisi ad id sustentetur, nec vel ad vnum passum progredi, nisi ducatur; *Quarta*, si esurit aut sitit, nec potest comedere nec bibere, nisi ei porrigatur; *Quinta*, si friget, aut labor aliquis, aut periculum inimicorum imminet, non potest seipsum liberare, nisi adsit qui liberet; nec se defendere, nisi ab alio defendatur; *Sexta*, pro complemento suarum miseriarum, nec scit nec potest petere quod sibi deest, nec quidem illud nouit, ut petere possit. Hæ sunt miseriarum vnus infantis; pro quibus non est aliud remedium, quàm pietas & amor matris, quæ materna prouidentia filio adest, & in omnibus subuenit. talem itaque meipsum esse existimabo in conspectu Dei, attribuens mihi prædictas infantis proprietates.

I.

PRIMUM, tanta est mea IMBECILLITAS, ut ex meo solo libero arbitrio peccare possim, & multis me culpis maculare; sed, postquàm peccaui, non possum solus me lauare, aut à culpis purgare, nisi Deus me lauet, ac purget; quare merito cum Dauide dicam

a Psal. 50. 4.

Deo: a Laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

II.

DEINDE, pondere deprauatarum mea-

rum

rum propensionum, & corporis huius corruptibilis, quod animam deprimit, facile *in terram decido*; & prostratus in ea hæreo, cum affectibus inordinatis ad res terrenas, eò quòd sim filius Adami terreni. quare postquam cecidi, *non possum solus surgere*, nisi Deus manum porrigat, erigatq; alioqui semper ita prostratus hæterem; sicut domus Israël, de qua dixit quidam propheta: *b domus Israel cecidit, & non adijciet vt resurgat.*

*b Amos. 5.1.*

III.

TERCIO, si Deus misericordia sua me erigit, & super pedes stantem constituit, dans mihi virtutem aliquam aut spiritum deuotionis; non possum solus meipsum *continere*, nec quod accepi cõseruare, nec vel passũ vnicum progredi, nisi idem Dominus me ad id adiuuet. quare semper decet, me esse in timore relabendi; iuxta illud Apostoli: *c qui stat, videat ne cadat.*

*c 1 Corint. 10.12.*

IV.

QUARTO, si esurio & sitio spirituales cibos, qualia sunt Sacramenta, verbum Dei, opera iustitiæ, nec possum per meipsum illa quærere, nec ita illa comedere, vt mihi proficiat, nisi Deus ad vtrumque iuuet. quòd si incidat aliquod desiderium proficiendi, non possum illud explere, nisi Deus, qui illud suggessit, gratiam quoque præbeat ad executionem.

V.

QUINTO, tot sum tentationibus circumdatus & periculis, à Dæmone, mundo, & carne, vt sit mihi impossibile proprijs viribus ab eis liberari; nisi Deus liberet; nec

habeo arma, quibus me defendam, nisi Deus dederit. semper rigerem peccatis, & torpore, nisi Deus igne sui amoris cælesceret; & contrà, semper arderem igne amoris proprii, nisi Deus viua suæ gratiæ aqua, æstum illum temperaret ac refrigeraret.

## VI.

d Roma. 8.  
26.

DENIQUÈ tanta est mea miseria, vt d *quid orem sicut oportet, nesciam*, nisi ipse Dei spiritus id suggerat; nec mea pericula & necessitates cognoscere possum, nisi Deus earum grauitatem mihi reuelet. Hæc est miseria, quam à me ipso habeo. Ex quo efficitur, quòd facere me infantem, non sit, me esse harum rerum ignarum; nec actu in huiusmodi miserijs hærerem; sed sit agnoscere me propensum, & ad incidendum in eas obnoxium; ex quo, tanquam ex radice, nascitur perfectio: sic enim Apostolus; *e fratres nolite paruuli effici sensibus & cognitione, sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote.*

e I. Corin.  
14. 10.

## VII.

POST QUAM hæc omnes miserias, quas ex me ipso habeo, benè perpendero; oculos attollam, ad expendendum, qua ratione infinita charitas, & paterna Dei prouidentia accurrat, vt omnibus subueniat; idque maiori multò cura & sollicitudine, quam matres carnales succurrant paruulorum suorum necessitatibus: quia fieri potest, vt illæ aliquando filiorum suorum obliuiscantur, at ipsemet Dominus ait: *Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Quare ipse prouident: à suâ accurrat, vt maculatum me lauet;

f Isai. 49.  
15.

inter-

in terra iacentem, *erigat*; consistentem pedibus, *teneat*; esurienti convenientem *cibum porrigat*; à meis hostibus oppugnatum *defendat*. doceatque me orare, ita ut ex parte ipsius providentiæ, nunquam mihi desit remedium; id quod magis est in promptu & ad punctum, quam si fuisset in sola mea libera potestate. Ideoque affectus humilitatis, ac diffidentia de me ipso, eò quòd me agnoscam æquè imbecillum, atque sit vnus infans, coniungam affectum amoris & fiducia in Deum, quem video tâta cura & solitudine, meo attédere remedio; ne consideratio meæ infantia reddat me pusillanimum; sed potius magis animet. nam sicut mater maiorem providentiam & curam gerit filioli paruuli, qui nullam sui curam habere potest, aut per se remedium inuenire, quam adultioris filij, qui potest se ipsum iuuare; sic Deus D. N. indulgentem magis habet providentiam, & magis particularem humilium, qui se in proprijs oculis infantes iudicant, quam eorum, qui multum sibi arrogantes, magnos & fortes se esse existimant. Et ita ipse ait; *g quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* O felicem illum iustum, qui ex humilitate se reputat infantem; quia idcirco fruetur admiranda aded & indulgente providentia. O beatam humilitatem, per quam Dei providentia, fructus profert aded copiosos!

*g Isaiæ. 66.  
12.*

h Psal. 83.

O Pater benignissime, quò ego magis miserias meas agnosco, eò te magis diligo, propter eam curam, quam ponis in me liberando. Et siquidem à tua Omnipotentia ita fui constitutus, sicut infans, indigens continuo tuo auxilio & assistentia; assiste mihi providentia tua paterna, ut à te laudando nunquam desistam: siquidem *h ex ore infantium & lactentium fecisti laudem*, quæ tibi arridet, & placebit in æternum. Amen.

## PUNCTVM II.

CONSIDERANDA deinde est humilis Resignatio, quæ in hac ipsa comparatione proponitur, & fructus Diuinæ providentiæ, qui ex ea proveniunt.

I.

PERPENDENDVM ergo est, quòd infans natura sua nullam habet curam sui, aut eorum, quibus indiget, sed providentiæ & curæ maternæ se & omnia relinquit: quia nulla ipsi est cura de lacte, quòd accepturus est, num sit aptum vel ineptum; nec moratur, quòd inuoluitur pannis subtilioris aut crassioris telæ, aut crepudijs sericis vel rudioris panni: quia quibusuis est contentus; non observat num in palatij splendidis habitet, aut in mollibus pretiosis cunis collocetur; aut in paupere domuncula, & vili præsepi iaceat; nec innaniter se effert, eò quòd ut filij Regis, honor sibi aliquis deferatur; nec affligitur, quòd parvi fiat & contemnatur, eò quòd serui alicuius sit filius; denique cum ipse nihil de se curet,

calis



talis eius est conditio, qualis est Patris & ma-  
 tris suæ; & talis eius educatio, qualis est pro-  
 uidentia eorum, qui curam illius gerunt. In  
 hunc ergo modum, studere debeo facere me  
 infantem, in conspectu Dei D. N., virtute id  
 faciens, quod infans facit naturâ suâ; reiiciens  
 scilicet à me anxias omnes curas, & a omnem  
 sollicitudinem meâ in Deum projiciens, quoniã ipsi  
 est cura de me: & b ipse me enutriet, geretque  
 curam mei, sicut infantis filij sui; prospicient  
 mihi de cibo, vestitu, honore, & reliquis, vt  
 supra est dictû. Exultare igitur debeo, ob for-  
 tem bonam, quæ mihi contigit in tali patre &  
 matre, qualis ipse est Deus; cuius cura & pro-  
 uidentia erga me, excedit infinitè eam, quam  
 Reges omnes & principes, & quam parentes  
 omnes & matres huius mundi, erga filios suos  
 habere possunt. si enim verum est illud Apo-  
 postolic: c si quis suorum & maxime domestico-  
 rum curam non habet, fidem negauit, & est in-  
 fideli deterior, quomodo erit possibile, vt  
 Deus D. N.: qui promisit, & in se recepit, cu-  
 râ nostri gerere, & impossibile est vt se ipsum  
 neget, & fidelitati suæ desit: vt ille inquam,  
 negligat magnam suorum, quorum cura ipsi  
 incumbit, prouidentiam habere, & maxime  
 filiorû, qui in eius domo versantur, nec aliud  
 quã ipsius patrociniû habet, eò quòd sint in-  
 fâtes. Cuius rei dulcissimum est testimonium  
 id quod ipse dixit Propheta Ionæ: d nō parcã  
 ego Niniue ciuitati magna, in qua sunt plus quã  
 ceterum viginti millia hominum, qui nesciunt quid

a 1. Petri. 5.

7.

b Psal. 54.

23.

c Thimot. 5.

8.

d Iona 4. 11.

sit inter dexteram & sinistram suam? Atq; si dixisset, etsi non mouerent me ad commiserationem, viri, qui sunt in Ninive, sufficeret vt temerescerem, quod viderem in ea centum & viginti millia innocentum infantum, qui nihil curant prosperitates, per dexteram manum significatas; nec aduersitates significatas per sinistram; quia, vt pote infantes, nulla horum curatantur, quos tamen nolo negligere, qui sum illorum Pater. O Pater benignissime, quantas possum tibi gratias ago, pro illa speciali providentia, quam geris eorum, qui demisse manibus tuis se totos committunt. Ne permittas Domine, in ignorantiam e Ephraim me incidere, cuius tu quasi nutritus eras, & portabas in brachijs tuis, & nesciuit quod curares eum, nec agnouit bonum, quod a te accipiebat, & miseriarum remedium, quod illi adferebas. Nouerim me Domine, & nouerim te, vt propria mea miseria constringat me fidere infinitae misericordiae tuae. Amen.

e Osea. 11. 3.

PUNCTUM III.

**T**ERTIO considerandi sunt quinque alij fauores, & priuilegia paruulorum & humilium, quae in praedicta Christi Domini sententia insinuantur.

**I.** PRIMVM est, quod propter suam paruitatem, inueniet ingressum in regnum caelorum, a Matt. 19. a finite, inquit, paruulos venire ad me: talium est enim regnum caelorum. & qui non se fecerint paruulos, non ingredietur eod, & proinde amittent media, finemque ipsum paterna

Dei

Dei prouidentia, qua re ipsa non fruuntur.

**SACVNDVM** est, quòd illi sint magni futuri in eodẽ regno, ad eã videlicet mensuram, qua se hic humiliauerint. quo enim magis hic se demiserint, eo erunt in hac vita Sanctiores, & ampliora præmia in futura consequentur. Quamobrẽ dixit S. Basilius, quod augmentum in humilitate, sit augmentum in omni virtute; & quòd humilitas est profundior, eò virtus est altior.

**TERTIVM** est; quòd b qui recipit vnum ex paruulis his in nomine Christi, recipit ipsum Christum. cū enim illis coniungatur Christus per amorẽ, quodcūq; bonũ aliquis eis imperat, accipit ipse tanquã sibi ipsi factũ. Quod si Christus D. N. adeò delectatur dum alij huiusmodi paruulos suscipiũt, & sicut ipsũmet tractãt, quantũ credemus ipsum delectari, cū ipsemet illos sub sua protectione in domũ suã in Regnum suum, & in ipsum cælum suscipit, semper enim hic Dominus facere conlueuit, quòd alios faciendum esse docebat, & exemplum, operis suã doctrinã præmittere.

**QUARTVM** priuilegium est, quòd qui aliquem ex his paruulis scandalizauerit, data scilicet illi occasione alicuius peccati, sic feruenter castigandus, c expedit enim (inquit) ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundo maris, quã scandalo esse huiusmodi paruulis. sicut enim ad suas rationes ponit, quidquid boni eis confertur; ita propriam reputat iniuriam quamcunque

illo-

II.

Sermone de  
abdicatione  
rerum.

III.

b Matt. 18.

IV.

c Matt. 18.

6.

V.

illorum offensionem. QUINTVM priuilegium, est quod habeant custodes Angelos qui vident in calis faciem Patris, licet enim omnes homines, habeant Angelos suos custodes, vt supra est dictum; humiles tamen præcipuè hac prouidentia gaudent, tam ex parte Dei, quàm ex parte ipsorum Angelorum, qui singulari cura huiusmodi paruulis assistunt, quia magis nouerunt illorum necessitatem; ipsique exactius suo gubernatori Angelo subijciuntur, magisque gratos se ostendunt, ob officium sibi exhibitum, & acceptum ab eis bonum. In cuius rei testimonium, refert scriptura, quod d Agar, cum erraret in solitudine, consumpta aqua in vtre, abiicit puerum Ismaelem subter vnam arborem, & abiit procul, ne morientem puerum videret: exaudiuit autem Deus vocem pueri, dixitq; Angelus Dei ad Agar; noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri, surge tolle eum, quia ingentem magnam faciam eum. Cum itaque mater & filius eadem necessitate premerentur, & vterq; fleret, nō tamē dicit scriptura, quod Deus audiuerit vocem matris, sed pueri, nec Angelus Dei venit intuitu matris, sed pueri; quamuis propter eum etiam matri prouiderit. vt in hoc euentu, quasi depicta appareat beneuola Dei & Angelorum eius cura; erga paruulos, quorum necessitates & lachrymæ, sunt voces, quibus & Deus & Angeli censeant. Et quando ipsi e Parētes derelinquunt & a se abijciunt paruulos, Deus illos suscipit

d Genes. 21.  
15.

e Psal. 26.  
10.

pro-

protegit que, destinans Angelos, qui singula-  
 rem illorum curam gerant. O felix infantia, *f Psal. 144.*  
 que tantum locum habes apud Deum, & An- *16.*  
 gelos eius. Tu es porta cæli, & mensura ma-  
 gnitudo & perfectionis in eo super te, *f*  
*aperit Deus liberalem manum suam, & implet* *g Psal. 137.*  
*te copiosa benedictione*; propter te diligit *6.*  
 eum, qui te recipit; oditque eum, qui te repel-  
 lit aut offendit; te amantem *g Deus respicit*  
 prope, ut ei subueniat, eumque *exaltet*; eum  
 verò qui te odit, *à longè cognoscit*, ut eum hu-  
 miliet & castiget; te tacente, propria tua ne-  
 cessitas clamat, & gemitus tui ascendunt ad  
 tribunal Dei, unde Angeli ad tibi subuenien-  
 dum expediuntur. Quis mihi daret, ut te cor-  
 de toto diligerem & amplecterer, eumq; imi-  
 tarer, qui pro me factus est infans? O Dulcis-  
 sime Iesu, qui ad eò puram Spiritus infantiam  
 & paruitatem dilexisti, ut propter eam acce-  
 peris etiã ipsam corporis paruitatem, factus  
 pro nobis paruulus, & nobis præbens exem-  
 plum, ut humilitate parui efficiamur; fac me  
 ad imitationem tui, paruulum, ut particeps  
 effectus paruitatis huius, quam in hac vita  
 elegisti, particeps quoq; siam magni-  
 tudinis, quam habes in altera,  
 in æternum. Amen.



MEDITATIONES DE  
ultimo & supremo beneficio  
cælestis gloriæ.



Is de gloria cælesti Meditationibus, finem imponam huic libro; quia & illa est ultimus vitæ nostræ finis, & omnium beneficiorum Diuinorum, quæ sunt media destinata à Diuina prouidentia ad eam consequendam; quorum vnum & quidem efficacissimum est, Deo supplicare, vt nobis declarificatos fidei oculos, ad illam intuentiam & contemplandam, sicut dedit S. Ioanni, quâdo ille dixit: *a vidi Sanctam Ciuitatem Ierusalem nouam, descendentem de calo, à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, & audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* O Deus æterne, qui cælestē Ierusalē facis ad nos descendere, dans nobis in terra degentibus notitiam eius; clarifica oculos animæ meæ, vt eius ciuitatis præstantiam & eminentiam cognoscam, magnam eius Sanctitatem, pacis visionem, inauditam nouitatem, admirandum ornatum, & ineffabilem quam tecum habet desponsationem. O si b *sonaret in auribus meis vox tue inspirationis, quæ mihi diceret; Ecce tabernaculum Dei cum hominibus; & aperiret pulchritudinem & elegantiam huius tabernaculi, & vnionem*  
illam,

a *Apocal.*  
21.2.

b *Cant.* 2.  
14.

Illam, quam cum felicibus eius habitato-  
ribus habes. Eia dulcissime animarum spon-  
se, ostende mihi faciem tuam, quia decora est,  
& vox tua sonet in auribus meis, quia dulcis  
est; ostende mihi bona, quæ promittis, ut me  
animem ad illa ita procuranda, ut ad gloriam  
nominis tui, tandem illa obtineam. Amen.

MEDITATIO. LI.

DE GLORIA COELESTI,  
qua ad eius locum, & socie-  
tatem beatorum.

PUNCTVM I.



CONSIDERANDVM est  
primum in genere, quid sit  
gloria, quid paradifus & bea-  
tudo; quæ, ut afferunt Theo-  
logi, est quidam status perfe-  
ctus, in quo conueniunt omnia bona, aut est  
status quidam æternus, securus, immutabilis,  
& expeditus ab omnibus malis culpæ & pœ-  
næ, quæ timeri aliàs possent; plenus verò  
bonis omnibus naturæ & gratiæ, quæ possunt  
desiderari; ideoque ille beatus est teste S.  
Augustino, qui habet omnia, quæ vult;  
& non vult aliquid mali. Hoc potest facilè ex-  
pendi, si discurrâ per omnia mala, quæ habeo,

aut

5. Thom. 1.  
2. q. 3. & se-  
quent. & q.  
82. Additio.

13. de Trinit.  
c. 4. & 5.